

024

022

028

018

033

013

073

13

rum retinacula pro balneare volentibus. Est enim aqua haec, ut ex praedictis patet, salubris et in eam Sarraceni a longinquis veniunt tamquam ad thermas naturales et balneantur ibi maxime, ut mundentur a tetterimo foetore, quo squalent. Sed et nos ipsi in ea balneati sumus et mundiores facti atque validiores. Et tantum de fonte illo.

Descriptio Horti Balsami.

Balsami hortum nunc describere volo et ipsum balsamum. Hortus balsami est valde magnus, muro circumdatus; ager autem, vel locus in horto, in quo balsami crescunt, non est magnus, non enim ultra quingentas cypros vel balsamos habet; et dicitur hortus ille ab Avicena oculus solis, eo, quod sol eum foecundissimis radiis inspiciat. Arbustum autem balsami dicitur vel balsamus vel cypruss; liquor vero vel unguentum vel aroma de balsamo pressum dicitur Balsamum. Porro ita terra horti illius proportionata est balsamo et balsamus terrae, quod nunc non crescit in mundo, nisi in loco illo, nec potest transplantari. Transplantatur quidem, sed non crescit; hanc autem (**D**) proportionem horti et balsami, balsalmi et horti, causat fons beatae Virginis et respectus solis singularis, ita, quod terra ipsa translata in alium locum et aqua de fonte solis allata eique infusa, adhuc non virescit inserta balsamus, nec virescere potest in alio agro, nisi quis terram illam, aquam istam, locum hunc et coeli aspectum simul transferre posset.

Porro de ipso balsamo, quae legi, inducam. Allata est primo de India. Inter praecipua enim munera, quae regina Saba attulit Salomoni, obtulit sibi radicem balsami, ut dicit Magister in Spec. hist., nusquam in illis terris visam prius. Hanc accipiens Salomon, eam plantavit in monte Enggadi et multiplicatae sunt arbustulae, ut etiam dixi de montibus Enggadi P. 1. fol. 246. Post hoc transplantaverunt eam ad hortos Jericho et ad alia loca apta in montibus Israel, quae respiciebant orientem et habebant aquam. Nec fuit terra, ubi cresceret balsamus, quam terra sancta, unde Salomon suae delictae carmen cecinit, de hac dicens Cantici 1.: Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Enggadi. Cyprus, ut

123

523

Ende

Anfang

